

05

A

1870





οἱ δὲ διδάσκοντες!
DISPUTATIO
PHILOLOGICA
De
CALCEAMENTIS JU-
DÆORUM.

ad
illustrandum
locum

Matth. X. 10. Marc. VI. 9.

Et nonnullos alios

Quam

Permiffu Ampliffimi Senatus Philofophici in Illuftri Acade-
mia VVITTEBERGENSI

PRÆSIDE

M. JOHANN-FRIDERICO Stapelfin
Megapolitano.

publicæ ventilationi exponit

THOMAS Carstensen / Lubecensis.

In Audit. Minor. hor. mat. ad diem 28. Nov.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officinâ Typographicâ Johannis Haken.,
ANNO M. DC. LV.

34

M. Baldin

PHILOGOSIA
CALCEAMENTS II
D. AORIM



05 A 1870

JOHANNES


THEOLOGICAL

LIBRARY

EXCERPT

Handwritten notes at the bottom left corner.





De
**CALCEAMENTIS JU-
DÆORUM.**
PROOEMIUM.



Erroris ea est na-

tura, ut prioris lapsus sequentiū
quoq; trahat secum ruinam. Ra-
pit uti in magna strage alius aliū
in cædem: Ita in commisso errore, alius alium
secum trahit ad perniciem. In propatulo hoc
satis est, ipsoque, quod ajunt, solis disco posi-
tum. Testis satis locuples ferè quivis dies. E-
tenim, *quam multi, dum plus exquirunt contem-
plando, quam capiunt, usq; ad perversa dogmata erū-
punt. Quam multi, dum veritatis discipuli esse negli-
gunt humiliter, magistri errores fiunt, Et dum in ob-
scuris solertes sunt, in re manifesta aberrant, docen-
te Gregor: L. 8. mor.* Imò, quod deplorandum,
quam multi quamque plurimi sese errare sciūt,

& tamen errorem dediscere nolunt; si non alium, saltem eum in finem, ut aliorum tenerrima pectora in sui admirationem trahant tandemque pervertant. Neque suam hanc in parte spe excidunt, aut ullo modo frustrantur. Longum enim sectatorum numerum saepius secum ducunt, imò abducunt, qui, quemadmodum fuci aliorum esculentis insident iisque delectantur, ita perversissimorum illorum Dd. feculentos rivos pro limpidissimo fonte, lutum pro auro, furfures pro farina, fel pro melle merave ambrosia reputant ac habent. Exemplorum multas in scenam producere myriades quid juvabit? Lucerna in meridie quid prodest? Instar omnium nobis jam erunt *Gvido Pancirollus & Henricus Salmuth* qui erroneam hancce opinionem: *Iudæos, praesertim temporibus corporalis conversationis Salvatoris nostri in his terris, planè discalceatos incesfisse*; non solum in sinu fovere suo, sed etiam aliis largò eam propinarunt haustu. Spissum huncce & Sacris Pandectis è diametro contrarium errorem paulò accuratiori mentis obrussa pensitare, quidque in recessu habeat, altius examinare, animus jam est. Apostolicum enim est praeceptum 1. Thess. V. 21. Πάντα δοκιμάζοντες, τὸ καλὸν κατέχετε. Et Ebraeorum: Co-

Comede dactylum & projice corticem foras. Cæterū,
 cum teste Xenophon: in Oeconomico ἐστὶ δ' ἔδεν ἔτως
 ἔτ' εὐχρηστον, ἔτε καλὸν ἀνδ' ὠποις, ὡς ἡ τάξις. Nihil
 hominibus præstantius sit neq̄. utilius ordine, labos-
 que noster certum, ad quem collimare pos-
 sit, scopum habeat, totius rei cardinem sub-
 sequentibus volvemus membris & sectionib9.
 Membr. I. Gentem Ebræam non incessisse prorsus nu-
 dis pedibus, probabit. II. Pancirolli, Salmuth, Hie-
 ronymi & Lyræ in contrariis militantium castris,
 sententiam & verba proponet. III. Deniq̄, eorum ar-
 gumenta & objectiones examinabit, proq̄ virili re-
 futabit. Hocce propositum ut feliciter succe-
 dat, ingeminamus cum Nazianzeno: Tu bone
 Christe χάριν παράσχ' τοῖς ἐμοῖς πόνοις!

MEMBRUM I.

probans

Judæos non incessisse prorsus nudis
 pedibus.

SECTIO I.

Judeos reverà usos esse calceis.

§. 1. Gentem Ebræam nullo non tempore suum habu-
 isse calceamentorum genus, uti ex multis alijs, ita præprimis
 ex subsequenribus satis constare potest testimonijs.

§. 2. Exod. III. 5. Jehova Dominus Moysen ad rubū
 ardentem sed non combustum accelerantem hisce adfatur ver-
 bis: Ne huc accedas propius; solve calceamentum de pedibus tuis,

A 3

locus



locus enim in quo stas, terra sancta est. Et Cap. XII. 11 Israelitis agnum Paschalem comeduris talia loquitur: Sic autem comedetis illum, renes vestros accingetis, & calcamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes, est enim pbase Domini. Sic, Esaias Propheta c. XX. 2. jubetur exuere τὰ σαυδάλια, secundum versionem LXX. seniorum. Conferatur Deut. XXV. 10. Ruth. IV. 7, ubi similiter calcamentorum inter Ebræos V. T. usitatorum non obscura fit mentio.

§. 3. Idem inculcant & ipsi Judæi, qui citante Grotio in not. ad c. VI. Marc. narrant morem fuisse majoribus suis, ut diebus festis in templo apparerent cum sandalijs è melium pellibus. Docet Lex antiqua, quæ in Talmudicis exstat, cujus rigore jubentur deponere sandalia in funere. Ostendit Lex de servitijs Magistro à Discipulo præstandis, sic sonans: Omne genus operis (personalis) quod à Servo Domino suo præstandum est, id etiam à discipulo Magistro suo est præstandum præter solutionem calcei eius. Quæ tamen exceptio obtinet tantum ubi discipuli conditio non satis dignoscitur. Nam si ea satis dignoscatur, etiam & munus illud præstandum. Distinctio illa, de discipuli notitia, adhibetur, ne alias servus esse, ex ipso opere discipulus existimaretur. Et quod de solutione calcei hic dicitur, intelligitur itidem de calceo sive exuendo sive induendo.

§. 4. In Novo Testam. neque Salvatorem nostrum ab eò recessisse more ex verbis Baptistæ satis manifestum est. Ille enim Matth. III. 11. se indignum esse dicit ejus ὑποδήματα βαρύνειν calceos portare. Quò proverbiali dicendi genere vilissimum ministerium Synechdochicè significatur, docente Plur. Rev. Dn. D. Glasfio Rhet. S. p. 503. Etenim, quos non adeò premebat res angusta domi & curta suppellex, sed paulò lautiori utebantur fortunâ, puerum, qui positos calceos portaret, secum sumebant. Et Fagius in Deut. c. XXV. notat, ad hos calceos portandos servos chanaanæos fuisse adhibitos, Ex his enim, non ex Ebræis, exigenda erant opera merè servilia. Et de illis disertè lex: Servus tuus & ancilla tua sint tibi de nationibus quæ in circuitu vestro sunt. Ex his adquiretis servum & ancillam & de advenis qui peregrinantur apud vos & de familia eorum, qui vobiscum sunt, vel qui ex his nati sunt in terra vestra.

Hos

Hos habebitis in possessionem, & hereditario jure transmittetis ad posterum, ut succedant in possessionem. In perpetuum, veluti servos, eos habebitis.

§. 5. Idem Johannes C. 1. 27. negat se esse dignum λύσαι τὸν ἰμάντα τῶν ὑποδημάτων *solvere corrigias calceorum*. Originem hujus phraseos si spectemus, Corporaliter olim judæi in ditione Israelitica possideri servum maximè volebant, si emptori ex venditoris sententia, servilia aliqua præstitisset opera, in quibus id imprimis memorant, quod est, *ut solvat domino calceamentum suum aut illud induat*; à quo more manasse videtur loquendi illa, ad summam discipuli loquentis humilitatem, Magistri verò dignitatem exprimendam formula: *ego non sum dignus ut solvam eius corrigiam calceamenti*, quæ h. in I. Evangelista utitur, subinnuens, ex calceationis formam non saltem hic esse probè attendendam, sed etiam per partem, corrigiæ sc. solutionem, totum intelligendum.

§. 6. Apostolos itidem fuisse calceatos, tum locus Marc. VI 9. ubi Apostoli jubentur esse *calceati sandaliis*, tum Act. XII. 8. ubi Petrus jubetur induere *σανδάλια*; tam clarè evincunt, ut aliis jure optimo supersedere queamus.

§. 7. In his igitur, tam V. quam N. Instrumenti testimoniis, cum mentio fiat calceorum, quis dubio locus superesse potest ullus de hujus calceamenti usu?

SECTIO II.

Judæos certò calceamentorum genere usos esse.

§. 8. Sed progrediamur, & quò calceamentorum genere Judæi usi sint, itidem videamus.

§. 9. Valde sanè hic dubitamus, an ex Ebraëa antiquitate vel gry possit produci, quò probetur: *Judæos, Salvatoris nostri præsertim temporibus, calceis, partim etiam pedis superiorem tegentibus, incessisse*. Cornelius quidem Jansenius, Episcopus Gandavensis *Comment. in Concord. Evangel. C. LV. p. m. 365. Lit.*

C.

C. ex Tertulliano statuminare annititur. Certè, inquit, Tertullianus libro de Pallia significat calceos totum pedem tegere; ac suo tempore Christianos ferè sine calceis incessisse nudis pedibus, asserens parum virile esse calceos gestare, ac fuerim as veneras prospexisse magnam incessum momentum, perones effeminatos. Sed conatu plane inindo & successu minimè felici. In ipso enim Tertulliano (quod bonâ adferimus fide) verba illa: calceos totum pedem tegere, non inveniuntur. Dicitur proinde: admodum probabile esse, calceos undiquam, pedem regentes, in gente Ebræa non fuisse usitatos: sed Judæos gestasse soltas, que plantarum calces tantum infimè tegebant, ceteris propè nudis. Saceretibus habenis junctis & colligatis. A Græcis dicta fuerunt ὑποδήματα & σανδάλια.

§. II. Hinc ergò, uti & in antecedent: dictum, Esaias jubetur exuere τὰ σανδάλια; Petrus induere σανδάλια, & Apostoli, viam capere ὑποδεμένοι σανδάλια. Hinc etiam Metaphrastes Hierosolymitanus pro ἕνυξ ubique posuit ἕνυξ. Et Josephus in expositione Legis de vidua fraterna (Deut. xxv. 10.) σανδάλια dixit quæ alii ὑποδήματα.

§. 12. Ubi tamen probè notandum ac observandum, quod, quamvis hæc duo vocabula aliàs ap. Scriptores alios distingvatur, & per σανδάλια fœminarum divitum elegantissima calceamenta denotentur, teste Tremell. in Not. ad N. T. præprimis v. Beza in Not. Min. ad v. 9. c. VI. Marc. ejus verba hæc sunt: Sandalium propriè est calceamentum muliebri, quod plantas pedum modò tuebatur ab iniuria, superne ansulis quibusdam aut funiculis alligatum; ab Evangelistis tamen pro Synonymis habentur & promiscuè usurpantur. uti infra Membr. III. Sect. 2. §. 18. pluribus demonstrabitur.

§. 13. Syrus peculiari nomine illa vocat talaria, credo, ait Cl. Grotius loc. cit. quod ad talos alligarentur. Sic & in Pedoniselegia, ubi est Sandalia, alij libri habent talaria; notante eod. loc. cit. Tantum de primo, sequitur

MEM-

MEMBRUM II.

proponens

*Pancirolli, Salmuth, aliorumq; in contrariis
militantium castris, sententiam &
verba.*

§. 1. Ebraeorum illud: *Non est certum, in quo non sit aliquid
dubij; si ullo in loco, sanè hic quam commodissimè adhiberi
potest; Licet enim & Sacris & profanis hæc nostra sententia
munta sit testimonijs; indubium tamen illam vocat, & negā-
tem defendit Guido Pancirollus L. 1. Rer. perditar. p. 318. his verbis:
Dio refert; Senatores olim discalceatos fuisse præterquam si publicè
convenissent: Multo magis igitur & alii absq; calceis inceserunt. De
quo vel propterea dubitandum minus, quod ipsum etiam Salvatorē
nostrum maximam vitæ suæ partem discalceatum fuisse constat. In-
deq; est, quod ingresso ipse Simonis leprosi ad eam Magdalena pedes cū
lacrumis lavit, & capillis succavit siquidem Simon istam lotionem
omiserat, quæ tamen administrari solebat hospitiibus. Qui, quoniam
absq; calceis ingrediebantur, lotionem ea quam maxime indige-
bant.*

§. 2. Hujus vestigia lambit in Notis ad autorem citatum
Henricus Salmuth. Ad verba enim Thes. præced. citata: *Sal-
vatorem nostrum discalceatum fuisse constat. ita glossatur: Idemq;
& Apostolis præcepit Christus, ne calceamenta pedibus induerent.
Quod ita explicat Adamantius, ut ipsorum pedes, qui ad annun-
ciandam felicissimæ vitæ perpetuitatem properabant, omni carerent
mortalitatis indicio. Nam & Moyses cum exiret Aegypto, calce-
amenta ex mortuis pellibus induerat, quibus veluti quædam mor-
talitate constrictus erat. Cum verò cepit per virtutem proficere,
& ad montem Dei conscendere, ibiq; immortalibus ministrare mini-
steriis; tunc ei præcipitur, ut loræ calceamenti solvat; hoc est, ut
indicia mortalitatis, quæ in pelliceis calceis designantur abjiceret.
Joan. Pier. L. XV. Hieroglyph.*

B

§. 3. Et

§ 3. Et hancce opinionem (in originem ejus paulò penitus si inquiratur:) hauserunt procul dubio ex Hieronymo. Ille enim, *Apostoli*, inquit, *toto orbe terrarum, non es in Zona, non virgam in manibus, non caligas habuerunt in pedibus.*

§ 4. Hieronymo hâc in parte adstipulatur *Lyra* qui in *Cap. VII. Luc. dabatur aqua, ait, peregrè venientibus quibus pedes fessi ac dolentes ex labore itineris, & lutosis pulverisati; eò quod sine calceamentis incedebant.*

§ 5. Atque hîc *Rhodus*, hic saltandum! Hæc adversariorum arma, quæ, si facta tecta que nostra alias manere debeat *Thesis*, à nobis subruenda ac demolienda. Procedat itaque

MEMBRUM III.

destruens

Citatorum Autorum sententiam proq; eâ adductas rationes.

§. 1. Ebræorum è *Talm. Scheb. fol. 106. est: Veritas habet pedes duos ideoq; stat firma.* Quod ut & de nostra verificari possit adsertione & sententia, verbacitatorum *Dd.* ordine examinabimus.

SECTIO I.

examinans verba Pancirolli.

§. 2. Rem acutangit *Pancirollus* quando *Senatores* (*Romanos sc. de quibus ipsi loc. cit. sermo est*) olim h. e. sub frontispiciis um nascentis *Reip. Romanæ* discalceatos fuisse sive, quod perinde est, nudis pedibus incessisse, dicit. Ita enim *vetus Scholiastes Juvenal. ad vers. 3. sat. I. ostendit plus honoris videri in calceis, quàm in persona.* Illo enim tempore nec dum *Senatores* nigris calceis utebantur, sed nudis pedibus, vel pulverulentis, vel braccis vel pedules novos in braccis, quos *pedornis* dicunt, ut peregrinis. *Locus, ait nitidissimus Dempsterus ad c. 36. L. V. Antiqq. Ros. p. m. 595. corruptus*

ruptus mutilusque, censeo rescribas *pedules novos in brachis*, quos *pedortes dicunt*, est enim *πεδοῦπιον vestis ad talos demissa* ex Achmete in *oneirocrit.* c. 217, notat *Meursius*.

§. 3. Neque vel latum unguem à veritatis tramite recedit. *Pancirollus* addens: *Praterquam si publicè convenissent*. Etenim de *Catone Uticensi Plutarchus* (in *Vit. Cat.*) memorat accessum ejus ad tribunal sine tunica & calceis non parum ignominiosum ipsi fuisse. Tacitè subinnuens, quod temporibus in melius jam transmutatis *Cato* discalceatus ad tribunal accedere non erubuerit; à quò tamen proavi, atavi ac majores ipsius abhorruissent, quorum tamen verba oleum & lucernam redolere solebant.

§. 4. Negare quidem sordidam hancce *Catonis* vitam an nititur *Helenius Acron*; sed ejus fides tanti nobis non est, ut preponderet auctoritati *Plutarchi*, vel etiam *Flacci L.* 1. Ep. 19.

*Quod si quis vultu torvo ferus, ac pede nudo
Exiguaq; togæ simulet textiore Catonem,
Virtutemq; representet moresq; Catonis.*

§. 5. Quod verò pergit *Gvido*: De quo vel propterea dubitandum minus quod ipsum etiam *Salvatore* nostrum maximam vite sue partem discalceatum fuisse constat: illud est, quod absurdum parit non leve. Etenim (ut hic dicam quod *Mar Sutra Doctōr Babylonicus* alicubi) *Quomodo hoc egreditur inde?* Qualis consequentia: olim, cum *Reip. Romanæ* fundamenta jacerentur, *Romani* discalceati inceserunt; Ergò & *Christus*, quinq; , sex, septem seculis labentibus posterior, in alia *Rep.* vivens, incesit discalceatus? *Risum* teneatis amici. Cogita *Pancirolle* & perpende, quam multa quamque plurima sæpè in eadem *Rep.* præsertim in rebus vestiariis, vel unico seculo, & quid dico seculo? vel anno mutantur.

§. 6. Nec constat, *Salvatore* nostrum maximam vite sue partem discalceatum fuisse. Contrariatur enim hoc ipsum non saltem expressis *S. Scripturæ* testimoniis *Membr. 1. Sect. 1.* adductis; sed etiam cum genuinâ antiquitate pugnat, quippe, in quâ nec vola nec uestigium hâc de re extat aut deprehenditur.

lum. Quia Jansenius loc. cit. expresse hoc negat. Dominum, ait, non planè nudis incesisse plantis verisimile est: quod hoc non convenisset ad speritatem & caliditatem illius regionis, per quam assidue discurrebat & circum ambulabat.

§. 7. Neq; inde est, quod ingresso ipsi Simonis leprosi ades Magdalena pedes cum lacrumis lavit, & capillis siccavit. Nam & huic Consequentia: Ἀμαρτωλὸς illa [Magdalenam enim sororem Lazari fuisse unde cum tuis probabitis complicibus Pancirolle?] Christi pedes durante convivio lacrumis rigavit; Ergo incesit Christus discalceatus. neq; sapor neq; odor inest, ut dicam verbis R. A. ben Esra in Psalm. 7. vers. 8. Recordare enim, Vir Reverende, quod non tantum Romani & Græci, sed etiam populi Orientales, inter quos & judæi non infimum obtinent locum, calceamenta sua nonnunquam deponere solebant.

§. 8. Arrige aures, & attende eruditorum oculo Scaligero de emend. temp. fol. 534. agenti: Lotio non solum judæis; sed etiam gentibus ipsis usitata. Quia enim in lectis discumbentes epulabantur, propterea prius depositis soleis lavabant; ne scilicet pulverosis pedibus strata inquinarent.

§. 9. Et huic sententiæ subscribunt Viri docti plerique omnes B. Gerhardus, Beza, D. Calixtus, D. Althoferus, Baronius & infiniti alij; & quidem ita confidenter & indubitanter, ut πολυμαθὴς αὐτὸν Casaubonus Exercit. XVI. Contr. Baron. Num. XXII. scribat: Hoc non solum verum sed vel pueris notum esse, morem fuisse judæorum, pedes ante accubitum lavandi.

§. 10. Hinc etiam morem calceos exuendi in mensa, ut pedes lavari commodè possent, colligit R. Levi cumque ipso Drusus ex Exod. XII. 11. ad; calceamenta vestra in pedibus vestris. Nam quia, ut ait Drusus loc. diffic. ad Exod. XX. p. 197. properè comedendum erat pascha, ideò noluit, ut exuerent calceos, quò paratiores res essent ad iter. Certè pedes lavari non poterant, nisi exutis calceis. Ex quo illud Luc. VII. aquam pedibus meis non dedistis i. e. lavandis pedibus.

§. 11. Causa proinde pedilavij & deponendorum calceorum potissima fuit, ne, uti Scaliger & cum ipso Dn. D. Calixtus loc. cit. loqui

loqui amat, pulverosis pedibus strata inquinarent. Alias causas qui scire desiderat, adeat *Stuckium* L. II, c. 27, & *Lipsum antiquo. Lect. L. III.*

SECTIO II.

examinans

Verba Salmuth.

§. 12. Sed quia angustioris spatii in paucis his pagellis habenda est ratio; licet his, quod super est, ad verba *Henrici Salmuth* & aliorum paucissimis respondebimus.

§. 13. Quando verò *Salmuth*, idemq; inquit, & *Apostolis* precepit *Christus*, ne calceamentum pedibus induerent. digitum q; intendit ac respicit ad locum *Matth. X. 10.* ubi inter alia *Salvator* discipulis sic loquitur: Μη (κτήσησθε) τήραν eis ὄδον, μηδὲ δύο χιτῶνας, μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον i. e. Non (possideatis) peram ad iter, neq; binas tunicas, neq; soleas, neque virgam.

§. 14. Hicce locus malè intellectus, uti *Henricum Salmuth* ad hujus erroris defensionem adduxit, ita & *Francisco Assisia*, qui sub initium seculi decimi tertij novum Monachorum instituit ordinem, ut talem, abjecto alio, sibi eligeret habitum, svasor extitit. Etenim [ut ipsa verba *Vincentij Bellovacensis Spec. Hist. L. XXX. c. 98. transcribam*] hic habitum eremiticum adhuc habebat, baculumq; manu gestans, pedibus calceatus, & corrigia cinctus incedebat. Audiens autem quâdam die, quæ *Christus* in *Evangelio* missis ad prædicandum discipulis loquitur, ne scilicet aurum vel argentum possideant, ne peram in via, vel sacculum, vel virgam vel panem portent; ne calceamenta vel duas tunicas habeant: & hæc plenius intelligens à probo quôdam presbytero gaudio repletus ait: Hoc est, quod quero, & totis præcordijs concupisco. Duplicibus ergò sine mora depositis, ex hoc iam calceamentis, virgâ sacculôq; vel perâ non utens, tunicam plurimùm contemptibilem & incultam fecit, rejectaq; corrigiâ funiculô eam cinxit. Hæc *Bellovacensis*.

S. 15. Cam verò ap. *Marcum* C. VI. 9. hujus effati contra-
rium deprehendatur, & Christum interdixisse legatur, nihil su-
meret ad iter nisi virgam tantum; non peram non panem, nō
es in Zona; ἀλλ' ὅτι οὐκ ἐπέτρεψεν εἶναι σκευήματα sed ut calceati
essent sandalijs, ipsi Pontificii sedulo in id incumbunt labore,
ut veram horum locorum conciliationem elicere queant. *Epi-*
scopus ille *Gandavensis*, cujus memoriam jam aliquoties injecio-
mus, *Concord. Evang. C. LV.* Quarto, ait, prohibet (*Christus*)
calceamenta. Cui contrarium videtur quod habet *Marcus*, permis-
sum illis fuisse, ut essent calceati sandalijs. Proinde intelligit *Cae-*
tanus ad nomen calceamenta debere etiam repeti numerum binarium,
ut intelligatur prohiberi duplicia calceamenta sicut duplices tunicæ.
Alii, quod in idem redit, intelligunt prohiberi calceamenta, præter
ea, quæ habebant in pedibus, quæ sc. secum deportarent ad induen-
dum, attritis vel sordidatis alijs. Verum cum *Lucas*, dicens C. XXII.
Dominum in ultima cœnâ dixisse *Apostolis*: Quando misi vos sine
sacculo & pera & calceamentis, satis significet, in totum calcea-
menta ipsis prohibita: & deinde *Marcus* dicens permissum ut calce-
arentur sandalijs, significet aliquod calceamentorum genus illis in-
terdictum; potius dicendum cum *Augustino*, calceamenta ea esse
prohibita, quæ totum pedem tegerent: sandalia verò concessa,
quæ plantam quidem pedis defenderent ab occurrentibus vitæ incō-
modis; verum superiorem pedis partem sinerent nudam. Nam
hujusmodi calceamenti genus vocari sandalia, indicat *Augustinus*.
Hæc omnia *Jansenius* loc. cit.

S. 16. Ejus patrocinium suscipit ex recentioribus *Johann-*
Stephanus Menochius, è *Societate Jesu* & *Theol. Doct.* in explica-
tione brevi *SS. Bibliorum*. Ad verba enim *Matth. neq; calceamē-*
ta ita commentatur: Quæ scilicet totum pedem tegerent. Voluit
enim sandalijs contentos esse, quæ soleæ erant plantam pedis tantum
munientes. Vide, ait, *Marci* VI. 9. ad hunc autem *Marci* lo-
cum calceatos sandalijs ita scribit: Sandalijs i. e. quæ supernè funi-
culis alligantur s. ansulis: cujusmodi atuntur (NB. attendat, quæ-
so, B. Lector.) *Franciscani Patres* quos *Capuccinos* appellamus.

S. 17. Ab his verò (quod miramur & dolemus) parum imò pla-

planè nihil abludit CL. Grotius. Etènim l. c. Soleatos igitur, inquit, ut ita dicam non calceatos vult Christus Apostolos suos iter arripere, non minus adversus iterum incommoda quam adversus difficultates alias, illis consulturus.

§ 18. Sed quam lubrico, carioso, ac incerto horum nitatur conciliatio fulcrò, vel exinde patere potest, quod (1) planè incertum est, Salvatoris nostri præprimis tempestate, calceos undiquaque pedem tegentes inter judæos usitatos fuisse; uti de his pluribus actum *Membr. 1. Sect. 2.* Quicquid ergò inter illos usitatum non fuit, quomodo prohiberi potuit? (2) Quod distinctio illa inter ὑποδήματα & σανδάλια ap. alios autores quidem est recepta apud Evangelistas verò non. Promiscuè enim illi vocabula ista usurpant. Idque exemplo LXX. Interpret. qui Ebræum לַבַּיִת jam per ὑπόδημα jam per σανδάλιον reddunt. *Vid. Lexic. Martini voce; Calceus.* Et Esa. XX 2. LXX. τὸ לַבַּיִת reddiderunt per σανδάλιον. *Conf. Membr. 1. Sect. 2.*

§. 19. Sanè Menochium hâc in parte multis parasangis post se relinquit Maldonatus. Ita enim ad locum *Matth. X. 10. neq; calceamenta;* non ineptè commentatur: *Quid ergo, inquit, voluitne Apostolos nudis ire pedibus? Sunt qui putent, non omne genus calceatus, sed calceos tantum prohibuisse, qui totum pedem tegerent, quiq; propriè ὑποδήματα calcei vocarentur. Nam Marcus c. 6. 9. dicit: Sed calceatos sandaliis, qf. Sandalia, quæ soleæ erant, solamq; tegebant plantam, concesserit, calceos prohibuerit. ut Hieronymus hoc loco; Augustinus Libro Secundo de Consensu Evangelist. c. 30. interpretati. Idq; videtur ex Cap. XXII. 36. Luc. confirmari. Quidò, inquit, nisi vos sine sacculo & pera, & calceamentis, nunquid aliud defuit vobis? Sed vix ego tibi persvadeo tam subtiliter Christum inter calceos & sandalia distingvere voluisse. Nam quemadmodum Matt. dicit, Christum prohibuisse ne virgam ferrent; Marcus autem dicit permisisse, de eadem loquens virgâ: ita cum dicit concessisse sandalia vocat ea ipsa, quæ Matthæus ὑποδήματα, calceamenta. Et ex Actis C. XII. 8. apparet, ὑποδήματα & σανδάλια idem fuisse. Quo ergò modo Matthæus prohibuisse, Marcus*

concessisse Christum dicit? Facile & bene novi quidam interpretes
respondent, cum dicit hoc loco *Matt.* neq; calceamenta, intelligē-
dum esse ἀπό δύο novā duo; sicut dixerat, neq; duas tunicas: quem-
admodum & *Juvenium* olim *Poetam* interpretatum video,
————— nec plantis tegmina bina.

Itaq; idem *Matt.* & *Marcus* contrarijs in speciem verbis dicunt. Nā
Matt. significat, prohibuisse Christum, ne *Apostoli* duo, aut plura,
calceorum paria, q; de futuro solliciti, secum ferrent. Hæc *Mal-*
donatus. Ex quo tanquam sui ordinis homine, talia discere
potuisset & debuisset *Menochius*.

§. 20. Nos, ut tandem veram horum verborum & loco-
rum conciliationem in apricum deducamus, respondemus: a-
pud *Mattheum* prohiberi *Soleas novas*, quæ ad iter, absque ur-
gente necessitate, studiosè comparentur; ut prioribus rejectis
commodè aliæ sint in mundo. apud *Marcum* verò concedi quæ
pedibus quotidie terantur.

§. 21. Atque hæc expositio ac Conciliatio, uti ex ipso
textu fuit, verbum enim *ἕξασθαι* (monente *Erasmio* in not. ad
Matth. X.) magis significat parare quam possidere; ita etiam Pa-
tronus ac Fautores habet Viros citra controversiam *CL.* & eru-
ditissimos *Bezam* in not. *Maj.* ad *Matt. X.* *Dn. D. Calixtum* *Conc.*
Quat. Evang. Script. L. IV. c. VII. Walaerum, *B. Slevogtium* *præcept.*
nostrum desideratiss. in *prælect. publ. super Matt. Flacium* & infini-
tos alios, qui videri possunt, nolumus enim scrinia eorum pe-
nitus jam expilare.

§. 22. Quod verò *Menochius* ad locum *Marci*, pro melio-
ri verborum suorum intellectu, hæcce subjungit: *Sandalia esse*
soleas, quæ supernè funiculis alligantur s. ansulis iujusmodi utuntur
Franciscani Patres, quos *Capuccinos* appellamus; atque sic *Capuc-*
cinorum calceorum natales tacitè ad *Ebræos* refert; in hoc e-
gregiè *Pancirolo* suæ religionis socio contradicit; quippe qui e-
os non ad *Ebræam* sed *Romanam* refert gentem. *Calceis*, dicit,
utebantur ferè ad exemplum fratrum, qui *Capuccini* dicuntur: nisi
quod hi calceos resti ligant: illi verò laneo cum funiculo adstringe-
bant, ut in multis statuis marmoreis conspicitur. Quomodo cum
hòc in gratiam redeat, ipse videat. Mihi cum illo hæc de re
jam

jam pugna non erit. Hoc saltem addo, quod B. Chemnit. L. 2. in Concil. Trident. p. 155. habet: Sunt hæc, conficta ad simulatam illam paupertatem palliandam.

§. 23. Mysticam sive Allegoricam Origenis expositionem Membr. II. Th. 2. adductam, tandem quod attinet; tantum abest ut ea verum calceamentorum usum, eorundemque depositionem tollat, ut potius præsupponat. Moyses gestavit calceos, sed propter mysticam quandam rationem eos exuere iussus est. Explicante enim Dn. D. Glasfio Pbil. S. L. 2. part. 1. tr. 2. Sect. 3. artic. 4. p. m. 295. allegoricè lubinnui videtur: terrenorum amorem prius esse exuendum, ut cœlestium amor in animum admittatur. Sed hæc ad nos non spectant.

SECTIO III.

examinans

Verba Hieronymi & Lyrae.

§. 24. Sed restat, ut quid de Hieronymi ac Lyrae sententia sentiendum sit, brevissimis jungamus lineolis. Unico nos hic expediemus verbulo quod totam faciet paginam. Scilicet, B. illi patres militant contra expressa Scripturæ testimonia, Antiquitatem, & multorum CL. Virorum autoritatem, quæ omnia Membr. I. fusius pertractavimus. Ergò hancce suam sententiam firmioribus, superstruere debent rationibus alioquin hæc in parte applausum non merentur. Plura possemus accumulare, sed quoniam Pindar. teste

Εὐώνυμον ἐς δίκαν Ad honestam Causam.

Τρία ἔπεα διαρκέσει. Tria verba sufficient.

Et nè præter spem faciamus tedia chartis,

Anchora jacta rates teneat nunc, littore puppes

Perstent; injungit celerem quoque Musa quietem

His commota: Ferunt rerum primordia pondus.

Cesso, secuturus posthac meliora. Proinde

Εὐλογία, κῦδος, τιμή, κλέος, ἠδὲ καὶ αἶνός.

Τῷ Θεῷ ἡμετέρῳ εἰς ἡμᾶτα πάντα ἀγέρας.

C

Quale

Quale decus, qualesq; habitus, dum regna stete-
Aptarit pedibus gens recutita suis, (runt,
CARSTENI doctis exponis conscie chartis,
Calceus, an foccus, sive ocreæ fuerint?
Perge ita, dumq; subit mentem genitoris imago,
Quale iter hic præiit, tu quoque flecte gradum.
JOHANNES MEISNERUS,
D. & Prof. Publ.

Eximio atq; Præstantissimo

Dn. Respondenti,

Fautori, Amico & Commensali suo per dilecto :

Dum mores Veterum docere tendis,
Illorumq; habitum decore tradis;
Tunc dulcem, celebremq; habes honorem,
Et favent Tibi cuncta clara corda.

Namq; quærere res amœniore

Est opus ferè, dulce laude dignum.

Hinc fies Patrie Decus per ævum.

Ingens; ut visere Diva tecta possis.

Grator ergo Tibi, Tuisq; cœptis;

Et Tu fac Deus, ut decus Parentum

Fiat

Fiat ac maneat; Tibi ast ut omnes
Velint Terrigeni; atq; Jova Magnus!

Ita animitus gratulando favet.

M. CHRISTOPH. Graumüller/
Facult. Philos. Adjunctus.

J Ampetis, Carstensis cathedram negantis,
Vera quo solvas laqueos: Deinceps
Forsan ascendes capias ut amplos

Letus honores.

Præstat. & Dn. Resp. Phil. Candid., digniss. Amico
ac amico suo honorando gratul. appos.

M. JOHANNES Seyfried/
Lycen. Misn.

Ad Præeximium atque Præstantiss.

Dn. Respondentem,

Philos. Candidat. digniss.

Fautorem, Amicum, Contubernalem, ac Commensa-
lem suum honorandum dilectum

EPIGRAMMA.

DUm Pancirollum stringentem vera, refutas,
Henrici & Salmuth dogmata falsa negas;

Ad-

*Adfirmat Phoebus te dignum laude ; triumphant
Thespiades Nymphæ , fertaq; danda parant.
Perge velut pergis magni Patris incrementum ,
Numina Parnalli ferta parata dabunt.*


M. JOHANN-FRIDERICI Stapelii/
Præfidis.

Ad Præ Eximium Doctissimumq;
DN. RESPONDENTEM, Publicè de Judæorum
Calceamentis summâ cum laude Disputantem.

Monstrans quis fuerit *Judæi Calceus* olim
Historicum studium prodis, *Amice*, tuum.
Libros Historicos, Credas, non ultima Laus est
Volvere, nec vacat his quodlibet ingenium.
Qui Veterum miranda potest, Antiquaque scripta
Pandere cum Doctis, Ingeniosus erit.
Ingeniosus eris, *Pars altera cordis, Amice*,
Hæc benè qui nôsti. Perge favente Polo!

*In gratiam Amici sui ut singularis, ita singularitèr
colendi, lub. m. d. apposuit*

ANDREAS Jäger / Phil. & SS. Theol.
Stud.



05 A 1870

ULB Halle
003 788 016

3



V.17







Farbkarte #13

B.I.G.

...idoneo!
...TATIO
...LOGICA
De
...MENTIS JU-
...RUM.

ad
...randum,
...cum,
...o. Marc. VI. 9.
...nullos alios
...quam,

...us Philosophici in Illustri Acade-

...EBERGENSESI
...ÆSIDE
...IDERICO Stapelhu
...politano.

...utilationi exponit
...erstenz/ Lubecensis.
...r. mat. ad diem 28. Nov.

...EBERGÆ,
...phicà Johannis Haken.,
...M. DC. LV.

34 M. Baldini

